



## Lectoribus S.

**I**mpedimenta vel Moræ Experimentalis Sapientiae multiplicia sunt, & inter illa hoc, quod Materiae necessariae non semper sunt in promptu, sive ob penuriam Sumptuum, sive ob distantiam Locorum; dum videlicet non omnis omnia Tellus fert, & jucundæ ac utiles Demonstrationes ac Speculationes multæ intermitti quandoque coguntur, solo defectu Subjectorum.

Huic malo mederi utcunque videntur Musæa, Pinacothecæ, Gazophylacia, & Conclavia Corporum Naturalium, Artificialiumque rariorum, à Magnatibus, Viris Illustribus, Doctis, Divitibus, in splendorem aut oblectamentum corporis ac animi adornata, continentia in Scriniis suis, tanquam in Epitome, congesta diuturno labore, nec sine impensis multa, quæ per nominatiores Orbis habitabilis partes dispersa aliàs, per longas, molestas, ac sumptuosas peregrinationes exploranda essent.

Qualia in Serenissimi Principis nostri Aulâ Gottorpicâ, & Regiâ Aulâ Danicâ, Uraniburgiitem, Amstelodami, Lugduni Batavorum, Enchusæ, Parisiis, Pictaviæ, Montis pessuli, Aquis Sextiis, Tiguri, Basilææ, Monachii, Argentorati, Stutgardia, Hanoviæ, Norimbergæ, Lipsiæ, Dresdæ, Magdeburgi, Hildesii, Saxo-Lawenburgi, Berolini, Vratislaviæ meæ, Pragæ, Viennæ, Oeniponte, Mediolani, Patavii, Venetiis, Veronæ, Mantuæ, Bononiæ, Florentiæ, inque vicino Pratolino ejus, Pisis, Romæ, Neapoli